



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XI. Qualiter se debeant habere plebani ad eos, quos ad auctoritatem
superiorem remittunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ab ingressu ecclesie publice excludant, coram quibus ex-
post presbyteri nullatenus diuina celebrare presumant.
Idem quoque de coniugibus vtriusque sexus, qui temere
sibi mutuo cohabitare recusant & nolunt, & de hospitan-
tibus eosdem, etiam si non sit notorium eos alibi adulte-
rari, volumus per omnia obseruari.

Hunc quoque ordinem perpetuis temporibus in po-
sterum precipimus obseruari: ita quod generalis ista mo-
nitio in Dominica prima quadragesime publice propo-
natur, speciali continenter admonitione & exclusione
sequentibus duabus Dominicis, prout supra dispositum,
continuatis.

XI.

*Qualiter se debeant habere plebani ad eos, quos ad auctoritatem
superiorem remittunt.*

Quotiens vero ad superioris auctoritatem aliquos re-
mitti contigerit, plebanus eosdem reuersos, nisi literas
testimoniales superioris ostenderit, pro absolutis nequa-
quam teneant, nec sacramenta eis ecclesiastica, nisi poen-
nitentia, aut saltem poenitentiae parte peracta, admini-
strent: quod praesertim circa adulteros & alios crimino-
sos notorios volumus exactissime obseruari. Et vt fraudi-
bus via pracludatur, huiusmodi notorios & manifestos
criminosos ad auctoritatem superioris literis suis clausis,
causae & facti narrationem plene continentibus, transmit-
tant: eosdemque reuersos, non ad simplices remissionis
schedulas, sed ad literas superioris intentionem continen-
tes*, ad ecclesiastica remittant sacramenta.

* forte de-
est respi-
ciendo.

XII.

*Quod matrimonia clandestine non sint contrahenda: & quod
secus aut contrarium facientes ad episcopalem
auctoritatem sint remittendi.*

Et quoniam ex clandestinis matrimoniorum contracti-
bus plurima saepe insurgunt pericula animarum, quibus
occurrere cupientes, quod super hoc a iure prouide sta-
tutum extitit, precipimus obseruari: vt videlicet, cum ma-
trimonia fuerint contrahenda, prius per presbyteros pu-
blice in ecclesia proponantur, bono competenti termino
pra-